





12  
BOS  
Carolus Emmanuel

Dei gratia Rex Sardiniae, Cypri, et Hierusalem; Dux  
Sabaudiae, Montisferrati, Augustae Salassorum, Chiabassii,  
Gebennensis, & Placentiae; Princeps Piedemontis, & Oneliæ;  
Marchio Italiae, Salutarum, Secusiae, Eporediae, Cevae,  
Oristanei, Mari, & Sesanae; Comes Mauriana, Genevae,  
Niciae, Tendarum, Astarum, Alexandriae, Pociani, Romontis,  
Novariae, Derthonae, Viglebani, & Dobii; Baro Vaudi, et  
Faucigniaci; Dominus Vercellarum, Pinerolii, Sarantasiae,  
Lumellinae, & Vallis Sicidae; Sacri Romani Imperii  
Princeps, et ejusdem in Italia Vicarius perpetuus.

Q  
UUM multa ad constituendum, firmandumque quidquid publicae  
felicitatis causas suscipitur, praeter diuturnitatem temporis, requiruntur;  
tum nec raro solet contingere, ut, antequam fastigium imponatur, pendeat  
opus interruptum; aut, postquam etiam absolutum fuerit, non modo in eo  
gradus, in quo collocatum erat, diu non constet, sed citius, quam processit ad  
summum, praecipit ruat fortunae vi, atque injuria temporum labefactatum.

Quae rerum prope omnium communis conditio est, ea quoque fuit  
Caluritanae Academiae. Etenim, ut praecellente Sardonum ingenia  
ad omnes liberales disciplinas facta rite in magnum religionis,  
reique publicae universae commodum excoherentur, fuerat illa quidem  
a cunctis Regni ordinibus expetita, dehinc Pauli V Pontificis  
Maximi, & Philippi III Hispaniarum, ac tunc Sardiniae Regis  
potentissimi auspiciis, atque singulari Civitatis studio feliciter instituta:  
sed, postquam jactae fuerunt optimis omnibus fundamenta, ea  
nimirum tempora incidere, quibus illa sensim ab instituto discessit,  
ut tanto demum molimini par exitus minime jam respondisse videretur.  
Quum enim nec satis pecuniae in sumptus necessarios faciendos  
suppeteret, quaeque, ut stipendia quotannis Professoribus penderentur,  
attributa fuerat, eis plerumque adsignaretur, qui publicis aliis  
negotiis implicati a docendi munere distraherentur; quamque in  
aeribus publicis scholasticis consentis agi desissent, ac proinde qui  
doctrinarum studio dacebantur in privatorum se disciplinam tradere  
cogerentur; quam denique non constans esset studiorum ratio, non  
ad honorum gradus ordine, ac legitimo confecto curriculo ascenderentur:  
vix jam nativa illa bene constitatae Academiae imago adgnoscebatur;  
ut mirum plane sit exstitisse subinde omni tempore viros egregios,  
qui in jure dicundo, causisve agendis, ac in publicis tum civilibus  
quibusque, tum ecclesiasticis muneribus obeundis magna cum laude  
versati sint, et nunc etiam nobis adprime non pauci satisfaciunt.  
Quae si quidam propter eam, qua Sardi homines pollent ingenii vi,  
& sollertia, nullis prope praesidiis adjuncti, superante tamen labore,  
ac perseverantia ex eo doctrinae genere, cui se addixissent, non vulgarem

gloriam sunt adepti; facile est intelligere, quanto uberiores,  
et praestantiores fructus capi potuissent, si certi duces studiosae  
juventuti quam planissimam, tutissimamque commonstrassent  
viam, sanctioraque sapientiae adyta reserassent. Nihil  
enim proclivius est, quam ut tyrones, quibus optime  
provisum non sit, aut error diversos agat, aut propositus labor,  
molestiaeque deterreant.

Haec quam ita sint, ne quid jam, quod in nostra sit potestate,  
ad eorum, quos a Deo Optimo Maximo regendos imperio  
accepimus, felicitatem desit; Caluritanam Academicam iis  
demum legibus instaurandam censuimus, ut et quantum  
maximum capi potest, ex ea emolumentum capiat, et  
aerversae, uti pridem, fortunae impetu haud ita facile in  
posterum labefactari queat. Quamobrem quum sine annuo censu  
unice & Professoribus debita pendantur stipendia, & alii sumptus  
necessarii fiant, diu manere non possit incolumis; re tota ad  
Sanctissimum in Christo Patrem Clementem XIII Pontificem  
Maximum delata, facile ab eo, scilicet cui nihil antiquius est,  
quam ferere ingenia ad optimorum studiorum, & religionis  
incrementum, impetratum est, ut Praebenda, quam vocant de  
Asgemini, ab Ecclesiae Caluritanae sacerdotio sejuncta Academiae  
jam propria esset, indeque provenientes fructus in Professorum  
quorundam stipendia, sacellique ornatum impenderentur.  
Ita, quantum in eo fuit, & quatenus ad sedem Apostolicam  
adinet, summus Pontifex et ipse Caluritanae Civitatis  
Academicam denuo excitatam instauravit, datis nempe Literis

IV idus Julii anni superioris MDCCLXIII .

Quoniam vero nec collata a Civitate pecunia, neque praesentibus  
ejus praebendae firandis oneribus omnibus pares videntur, praesertim  
quum, ut in hujuscemodi renovationibus fieri adsolet, ad invicendam  
exquisitiorem, optimamque, quae apud alias nationes vigent,  
tradendarum artium rationem spectatae doctrinae viri e  
dissitis terris vocandi sint; quidquid defuerit in Regno nostro  
aerario depromptum volumus; idque eo quidem libentius  
facimus, quo majorem inde utilitatem ad populos nostrae  
ditioni subjectos, quorum fides nobis probatae semper fuit,  
perventuram esse confidemus.

His igitur constitutis, quod bonum, felix, faustumque sit,  
summa, qua pollemus, potestate, ultro, ac scientes,  
prudentesque, adhibitis de more in consilium primoribus,  
liberalium artium, et doctrinarum generalem Academiam,  
a Philippo III Hispaniarum Rege in Calaritano urbe  
olim constitutam instauramus, meliori que jam formae redditam,  
novisque ornamentis auctam hoc diplomate, ac pragmatica  
in perpetuum valitura sanctione renovamus, restituimus,  
excitamus; praetereaque omnia, et singula ejus jura, privilegia,  
& beneficia confirmamus, eaque insuper concedimus, et  
elargimur, quibus fruatur Jaurinensis, & quae nostris  
hoc ipso die editis constitutionibus continentur. Quotquot  
autem artium liberalium Magistri, Baccalarii, Prolytae,  
ac Doctores in Calaritano Academia renunciati fuerint,  
eis nos ultro potestatem facimus utendi omnibus honoribus,

beneficiis, & privilegiis, quae jure, ac legitima Regni  
consuetudine competunt iis, quicumque in Academicis  
quibuslibet Regiae auctoritate constitutis parem dignitatis  
gradum sint adepti. Praeterea Moderatores creamus, qui  
Magistratus nomine rei literariae universae tuendae,  
conservandae, augendaeque praesint, iisque Censorem, &  
Adessorem, sive Judicem, suo cuique discreto munere,  
adjungimus. Ut vero honores Academici Regiae auctoritate  
rite conferantur, Cancellarii munus Archiepiscopo  
Calaritano; proque eo absente, vel utcumque impedito,  
Vicario ejus generali, vel alteri, quem ipse delegerit, vacante  
autem sede, Vicario generali capitulari committimus, ac  
demandamus. Quod reliquum est, de eorum scilicet, qui  
rei literariae universae, vel alicui tantum parti praesidentur,  
auctoritate, de disciplinarum generibus, rectaque illarum  
tradendarum via, de Professorum, & alumnorum officiis,  
de Collegiis, de honoribus Academicis, eorumque conferendorum  
ratione, atque ordine, deque aliis eodem, quo cetera, collineantibus  
omnibus ita geri, atque administrari, quemadmodum legibus  
a nobis hoc ipso die latis constitutae, & praescriptae sunt,  
volumus, jubemus, atque sancimus.

Quae igitur nobis de liberalibus artibus, ac disciplinis in nostro  
Sardiniae Regno provehendis, & Academia Calaritano instauranda  
placuerint, Sardiniae Pro-Rex, Regiam cancellariam Regens,  
in Regio Calaritano Auditorio Judicis, Aerarii publici, fisci que  
nostri procurator, ceterique Magistratus, aut quamcumque rei publicae

partem, minusve obeuntes, omnes denique, ac singuli imperio nostro  
subjecti custodiant, teneantque. Si quis vero contra fecerit, ei millenis  
communis in Regno Sardiniae pretii scutis in aerarium nostrum,  
inferendis multa aestimetur. Datum Augustae Taurinorum  
die vigesimo octavo mensis Junii anno a nativitate Domini millesimo  
septingentesimo sexagesimo quarto; Regni vero nostri trigesimo quinto.

Manuel

Reginus

V. Nigro P.

V. Sign. Palatio Magni Prin. Sardiniae

V. Maximilianus Cons. V. De Rossi A. F. R.

P. Niretti Secr. ius

Registr. in Libr. 2<sup>a</sup> Dipl. Supr. Cons. fol. 107.

Diploma di restaurazione della Regia Università  
di Cagliari







